

Za  
3256

Ak. 236.

IV 222,

CAROLVS FERD. HOMMEL

ADSPECTVRIS SALVTEM.

MANCIPIO MEVS EST, VSV HIC  
LIBER VT OMNIA MEA  
AMICORVM. NISI TAMEN INTRA  
QVATVOR DECIM DIES  
COMMODATVM REDDIDERINT  
NEQVE BELLE CVSTODIERINT,  
ALIO TEMPORE: NON HABEO  
DICAM.

LIPSIAE ANNO MDCCCLXI





QK. 236.

IV, 222

# IACOBI BORN

DOMINI HEREDITAR. CLIENTELARVM

WILDENBORN ET SVXDORF

PROCANCELLARII REGII

CIVIT. LIPSIENS. CONSVLIS PRIM

A. D. VI. NON. DEC. CICIOCCCLVIII

PLACIDA MORTE EXTINCTI

## E L O G I V M



LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA

# JACOBI BORN

DEMINI HERCULICAR CIBINUM

WILDEBENSORUM ET SAKROU

PROGNGELLA RHEIN

CIVIT LIPSIENZ CONSALIS PRIM

AD AN NOV TUL CIBINUM

PRAGIDY MORTUUM KUTINCI

# ELOGIUM



LIPSIENSIS

EX OFFICINA HERKINOPOLIA



I A C O B I   B O R N I  
E L O G I V M

---

---

**Q**ui de vita et rebus praeclare gestis  
clarorum virorum, quos rebus  
humanis dolent ereptos, ad super-  
stites et posteritatem perscribunt, alii non  
nisi honesti moris, alii etiam philosophicae  
subtilitatis habere rationem possunt. Et  
prius quidem, quod ex maiorum more  
ducitur, argumentum telam eiusmodi fu-  
ceptam vehementer commendat; posteri-  
us autem, quod intimioribus nititur pietas  
atque iustitiae praeceptis, eius perfici-  
undae necessitatem quandam imponit:

A 2                  quam-

quamuis nec illos arguere erroris audemam, qui vel ideo laudationes publicas mortuorum in officiis numerant, quod eas multorum saeculorum constans iudicium probauit, et magnam veri rectique speciem tribuunt vetustae opinioni, iam usque ab heroicis ductae temporibus, ac postea populi Romani et omnium ferme gentium firmatae perpetuo consensu. Quodsi enim in vrbe orbis terrarum principe maiorum mos recte fuit omnis diuini humanique publici non minus quam priuati iuris fons existuma-

tus:

1) CICERO in *Bruto* c. 19. HORATIVS *Carm.* IV. od. 15. v. 29. sq. Immo vix alia historiae mythicae origo. Fuit enim antiquissimis illis historicis, qui poterum priuilegio muniti quidlibet fingere audebant, hoc sollempne, ut res gestas eorum, quos canere et posteritati commendare sufficerent, omni vacua labe repraesentant, et lectoribus ad superstitionem, vti tum erant tempora, pronis Deorum, non hominum, facta recenseri persuaderent. Haesit in-

de forsitan posteriorum quoque saeculorum laudationibus in funere clarorum hominum vel dictis vel scriptis commune quasi vitium, ut fato functis nobilitatem quandam et generis et animi falso tribuerent: vnde vitiatam magis, quam instructam defunctorum elogis historiam conqueruntur grauiissimi scriptores, CICERO in *Bruto* c. 16. et LIVIUS VIII. 40.

2) Originem moris Romanam tuetur DIONYSIUS HALICARN. antiqu.

tus: quo iure poterit iustitiae atque honestatis indicium quoddam et *χαρακτήρ* consuetudini negari, quae et antiquitus placuit, et hodieque frequentatur? Quis est autem adeo in tabulis rerum gestarum hospes, et priscae aetatis institutorum tam ignarus, ut facta heroum ad lyram cani solita antiquissimo et carminum et historiarum generi ansam dedisse <sup>1</sup> nesciat; ut penes Romanos inde a regiis temporibus sollemnes in funere egregiorum virorum laudationes recitari, scriptasque posteris relinqu solitas <sup>2</sup>, praeterea istud officium

## A 3 ad

*antiqu.* Rom. L. V. c. 17.  
Opp. T. I. p. 279. s. edit. Oxon. vbi, postquam de pugna, qua Tarquinii detleti sunt et Brutus libertatis restaurator occupuit, tradidisset, mox de P. Valerio Poplicola perhibet: τῇ δὲ ἐξῆς οὐκέτε φωνὴν ἐδητα λαβών καὶ τὸ Βούτε σῶμα προδόσαι ἐν ὕγροῖς νεκροπυρίμενον ἐπὶ σφραγίνης εὐπρεπεῖς συνεκάλει τὸν ὅμοιον αὐτῷ ἐκελυσίαν, καὶ προειδὼν ἐπὶ τὸ βῆμα τὸν ἐπιτάφιον ἀλέξει ἐπὶ αὐτῷ λόγου· εἰ μὲν ἐν Οὐαλέριος πρῶτος πατεστάτῳ τὸν γόνους τόθε Ρωμαῖον, η̄ πά-

μενον ὑπὸ τῶν βασιλέων παρθελαβεν, ἐπὶ ἔχω τὸ σαρές ἐπέν. "Οτι δὲ Ρωμαῖον ἐπὶν ἀρχαῖον ἔνημα τὸ παρὰ τὸν ταῦθα τῶν ἐπισήμων ἀνδρῶν ἐπάνω τῇ ἀρετῇς αὐτῶν λέγεται, καὶ οὐχ Ἐπαννες αὐτὸς πατέσησεν τὸ πρῶτον, παρὰ τῆς ποιῆς ἴσοριας οἶδα μαθὼν, οὐ ποιητῶν τε οἱ παλαιότατοι οὐδὲ συνγραφέων οἱ λογιώτατοι παρεδεδίκτουσιν. ἀγύνας μὲν γαρ ἐπιταφίες τιθέμενοι ἐπὶ τοῖς ἀνδόξοις ἀνδρῶσις γυναικεῖς τε καὶ ἵπποις ὑπὸ τῶν προσηκόντων ἴσορημοιν, οὐ υπὸ τε Ἀχιλλέως ἐπὶ Πατρόντων καὶ τοι πρότερον ὁφέλειας ἐπὶ

Πέ-

ad proximos agnatos iure quasi proprio  
pertinuisse<sup>3</sup> ignoret; ut publico Athenarum  
decreto post pugnam siue Marathoni-  
am,

Πέλοποι· ἐπαίνοι δὲ λεγομένοις  
ἐπ' αὐτοῖς & γεύφρονι ἔξω τῶν  
Ἀθηνῶν τραχυθόστοις, οἱ κο-  
λαικούντες τὴν πόλιν ἐπὶ τοῦ  
ὑπὸ Θησέως θυπτομένοις ηγε-  
τάτῳ ἐώθιντοι· ὅφε γάρ πο-  
τε Ἀθηναῖοι προσέθεσαν τον  
ἐπιτύφιον ἐπαίνοις τῷ νόμῳ, ἄτο  
ἀπὸ τῶν ἐπ' ἀρτεμισίου ηγε-  
περὶ Συλλαμψίην ηγετὴν ἐν Πλαται-  
αῖς ὑπὲ τῆς πατρόλος ἀποθα-  
νόντων ἀρρεύμανοι, ἄτο ἀπὸ τῶν  
περὶ Μαραθῶνα ἔργων· οὐδεὶς  
δὲ ηγετὴ τὰ Μαραθῶνα τῆς  
Βρέτα ταῦθις, εἰ δοτὸς ἀπότετων  
πρώτων ἡρζετοι οἱ ἐπαίνοι λέ-  
γομενοὶ τοῖς ἀπογενομένοις, ἐκ-  
παιδευταὶ τεσσαρεῖς· εἰ δὲ τις ἔπιτε-  
σιοντινοὶ οἵτινες θάσον οἱ πρώτοι  
τὰς ἐπιτυφίες ἐπαίνοις καταστή-  
σαμένοι, τὸν νόμον αὐτὸν ἐφ'  
ἴαντες βεληθάη καταμαθεῖν  
παρ' ὑποτέροις ἄμενον ἔχει,  
τοσάτῳ Φρονιμώτερον εὐρίσα-  
παρα τούτοις κατεναντίον αὐτὸν  
ἢ παρ' ἐπείνοις, οὐτο γε Ἀθη-  
ναῖοι μεν ἐπὶ τοῦ κατὰ τὸν  
πόλεμον θυπτομένοις καταστή-  
σαμέναις τὰς ἐπιτυφίες ἀγορεύ-  
θαι λόγος δικῆσιν, ἐκ μηδὲ τῆς  
περὶ τὸν θάνατον ἀρτεμίσιον, κανὸν  
τύπων Φαῦλος γένετο τις,  
ἔξετάξειν οἱόμενοι δεῦ τὰς ἀγα-  
θάς.

Ῥωμαῖοι δὲ ἐφ' ἄποινοι  
τοῖς ἐνδόξοις ἀνδράσιν, ἐάν τε

πολιτικῶν ἔργων προστοιος, συ-  
ετὸν βαλεύματα τοιούτα πρᾶξες  
ἀποδέκανται κακά, τιμῆν  
ἔταξεν ἄνα τὴν τιμὴν, εἰ μό-  
νον ἐν τοῖς κατὰ πόλεμον ἀπο-  
θανεσιν, ἀλλὰ ηγετὴ τοῖς ὄποις  
δήποτε ζητομένοις τὰ βία  
τελευτῆς, ἐξ ἀπάσης τῆς περὶ  
τὸν βίον ἀρετῆς οἱόμενοι δάν  
ἐπιστάντας τὰς ἀγαθάς, εἰ εἰ-  
μῖς τῆς περὶ τὸν θάνατον εὐ-  
κλέας. add. PLVTAR-  
CHVS in vita Poplicolae  
T. I. p. 101. F. s. M. CI-  
CERO quoque hanc a  
Decemuiris refert sapien-  
ter latam esse legem de  
Legibus II, 24. Honora-  
torum virorum laudes  
in concione memorantur.  
Num ex Varronis de tu-  
mulo Romuli commemo-  
ratione apud antiquum Hor-  
atii interpretem ad Epop.  
XVI, 13. p. 222. ed. Bax-  
ter. colligi queat, pro ro-  
stris laudatum publice vr-  
bis conditorem, adfirmare  
vix ausum.

3) POLYBIUS ex-  
cerpt. histor. VI, 51. To. I.  
p. 689. ἐν δὲ φύτεύν ίκανον  
ἔτοι σημαντινοὶ τῆς τὰ πολιτεύ-  
ματος σπεδήσ, ἥν ποιεῖ περὶ τὸ  
τοιάτερος ἀποτελεῖν ἄνδρας, ὅτε  
πάντα

niam, siue aliam, qua libertas reipublicae vindicata est, stabilitum, laudes virorum fortium, qui pro republica occubuerant,

*De festis et obitu virorum fortium*

ora-

πάνταν ὑπομένειν χάριν τὰ τυχαῖαν  
ἐν τῇ πατρίδι τῆς ἐπὶ ἀρετῇ Φήμης· ὅταν γάρ μεταπλάξῃ  
τις παρ' αὐτοῖς τῶν ἐπιφανῶν  
ἀνδρῶν, συντελεσθεῖς τῆς ἐκφο-  
ρᾶς κοινότητος μετὰ τὸ λοιπόν  
κότικα πρὸς τὰς καλεμένες  
ἔμβολες ἐν τὴν αγοράν, ποτὲ  
μὲν ἐνώς ἐναγγής, σπανίως δὲ  
κατακεκλιμένος· πέριξ δὲ παν-  
τοῖς τῷ θόμα σάντος ἀνάρθει  
ἐπὶ τῆς ἐμβόλου, ἀν μὲν νίος  
ἐν ἡλικίᾳ καταλέπτοις πορ-  
τάν χαράν παράν, ἔτος, ἀ δὲ μὴ τῷ  
ἄθετῳ εἰς αὐτὸν γένες ὑπάρχει,  
λέγον πορὶ τῷ τετελευτήτος  
τούς ἀρετὰς πορτάς ἐπεισεν-  
γείνεται ἐν τῷ ἔπειν πρώτεας· δι-  
ῶν συμβαίνει τοὺς ποθεῖς, ἀν-  
τιμηνησομένεις πορτάς λαμβάνον-  
τας ὑπὸ τὴν ὕδωρ τὰ γεγονότα,  
μὴ μόνον τὰς κεκοινωνήστων  
τοῦ ἔργου, ὅπου πορτάς τὰς ἐπτέος,  
ἐπὶ τοσσούτον γίνεσθαι συμπλέας,  
ῶτε μὴ τῶν πινδονεύστων θίτον,  
ἀλλὰ ποιὸν τὰ δήμους φαίνεται  
τὸ σύμπτωμα. Iterum c.  
52. p. 690. πλὴν ὅγει λέγω  
ὑπὲρ τῆς διάπτεδας μεθιόντος  
ἐποιεῖ διέδη τὸν περὶ τέττα  
λόγον, ἄρχεται τῶν ἄλλων  
εἰπὸν τὰ προγενεῖά τῶν παρ-  
όντων πορτάς λέγει τὰς ἐπιτυχίας  
ἐκάστους πορτάς τὰς πρώτεας· ἐξ  
ῶν παντοποιεύμενος διὰ τῶν ἀγα-

θῶν ἀνθρώπων τῆς ἐπὶ ἀρετῇ Φή-  
μης, ἀθανατιζέται μὲν ἡ τῶν  
πατέρων τι διαπροσακτέων εἴ-  
κλειστή· γνώμων δὲ τοῖς πολ-  
λοῖς πορτάς παραδόσιμος τοῖς ἐπι-  
γνομένοις ἡ τῶν εὐεργετησάν-  
των τὴν πατρίδα γίνεται δόξα·  
τὸ δὲ μέγιστον, οἱ νέοι παρο-  
μάνονται πρὸς τὸ πᾶν ὑπομένειν  
ὑπὲρ τῶν ποιῶν προγμάτων  
χαράν τὰ τυχαῖα τῆς συνανδε-  
θέσης τοῖς ἀγαθοῖς τῶν ἀν-  
δρῶν εὐλέγεις. Laudat insti-  
tutum HIERONYMVS  
Comment. ad Ierem. XVI,  
5-8. T. IV. p. 951. s. edit.  
Domin. Vallarsi Veronensis. Exempla collegit  
IOA. KIRCHMANVS de  
funerib. Rom. II. c. 18.  
p. 161. Memorabilis in-  
ter caeteras est Q. Fabii  
Maxumi Oratio, qua Mar-  
cum filium pro roffris  
laudavit, quandoquidem  
publici facta iuris et ad  
posteritatem propagata est.

P L V T A R C H Y S in vita  
Fabii c. 15. T. I. p. 188. C.  
τὸ δὲ ἐγκαύμιον, ὃ τοῖς ἐκπο-  
μοδεῖσι τῶν ἐπιφανῶν οἱ προσ-  
ήκοντες ἐπιτελέσιν, αὐτὸς  
ἐπειποταπέδης ἐν αὔροψ πορ-  
τάς γράφει τὸν λόγον ἐξέδωκεν.  
Atque ita in manus per-  
venit.

oratione funebri recensere <sup>4</sup>, haud accep-  
rit; vt industriam tandem eius effugerint  
*parentalia*, antiquae appellationis dies sol-  
lemnes, Romae olim inde ab imperio Nu-  
mae cognatorum inferiis ideo destinati <sup>5</sup>,

*Praefat. Pa-*  
*rentalium*  
pag. 107. sq.  
ed. Toll.

quia, vt AVSONIVS perhibet, sanctius  
nihil habebat reuerentia superstitum, quam  
vt amissos venerabiliter recordaretur? Et  
quid exteras moramur gentes, quum ma-  
ioribus nostris, quos imitari piae caeteris  
Germanum decet, similis pietatis testifica-  
tio placuerit? Nam licet iisdem tantum  
ingenii acumen tantamque libertatem do-  
ctrinae et gloriam litterarum, in quibus

post  
venit M. TULLIUS,  
qui eam non sine elogio  
in *Cat. Mai.* c. 4. comme-  
morat. Deficientibus pro-  
pinquis munus hoc elo-  
quentissimis viris manda-  
tum legimus, quemadmo-  
dum in funere Syllae, ἵνε  
Φαῦσος δὲ πάντας νέωτας ήν ἔτι,  
teste APPIANO de B. C.  
Li. I. T. II. p. 694. edit.  
Iac. Tollii. Immo magi-  
stratibus subinde ex S. C.  
QVINCTILIANVS Instit.  
Orat. III. c. 9. (al. 7.)  
p. 145. edit. Geijer. V. C.

4) Legis mentionem  
PERICLES oratione, qua  
caesorum in Marathonis  
campis obitum laudauit,  
apud THVCYDIDEM de  
B. P. II, 35. et DIODORVS SIC. biblioth. XI, 33.  
iniecerunt. Num vero,  
quod SCHOLIASTES  
THVCYDIDEVS p. 118.  
perhibet, a Solone profes-  
ta sit, quum in Poplico-  
lae vita ipse PLVTAR-  
CHVS T. I. p. 102. Ana-  
ximenis Rhetoris testimo-  
nio rem confici posse du-  
bitet,

post vetustissimas orientis gentes Athenienses atque Romani principatum tenuerunt, tribuere vix ausim, innocentia tamen morum neutris cessisse, inque hac virtuti etiam sepultae pretium statuisse, ipse laudat **CORN. TACITVS.** Ast sunt fortassis, qui solam imitationem moris maiorum, si alia commendatio defit, reprehendant, et totas gentes despere potuisse affectuerent, hoc vnicē clamantes, viuis cum mortuis nihil amplius esse commercii, hos, quid in terris agatur, nec scire nec curare: frustraneum igitur laborem fuscipere, qui gratum ipsis animum testari superstitione,

*de M. G.  
c. 2. n. 3.*

et  
bitet, in medio tutissime relinquimus. Mandata haec fuit sparta oratoribus cuiusque saeculi clarissimis, vt Demostheni, atque tulit aetatem, quem is recitauit, *λόγος ἐπιτεύχος*, in operibus a Feder. Morellio Lutet. Parif. *circa* 1700. fol. iunctim editis p. 745 seqq. Qui publice laudabantur, sumtu etiam publico in Ceramico, qui intra moenia Athenarum fitus erat, sepeliri solebant,

quam in rem plures idoneorum scriptorum locos collegit **IO A. KIRCHMANVS** II, 25. p. 194.

5) Celebrabant Graeci pariter ac Romani anniuersariam mortuorum, qui bene de re publica meruerant, memoriam: quem morem posterioribus saeculis ecclesia etiam recepit. **HENR. SPONDANVS** coemeter. *scavv. L. I. P. III.* c. 16. §. 6. p. 309. seq. (Parif. *circa* 1700 XXXVIII. 4.)

et laudibus condecorare vitam eorum in animum inducat. Quae vituperia quamquam nullo ponenda loco sint, quum excusatus peccat, qui peccat cum multis, nimium tamen liberalis videri possem, si tacitus praeterirem, quae institutum commendant, etiamsi ignoratum antiquitus fuisset, argumenta. Et *primo* quidem esse gloriam quandam mortuorum, qui suis se laudibus vita excedentes solari possunt, et virtutis perfectae perfecto funeti sunt munere, vix ac ne vix quidem in dubium vocare fas est. Ipse

*Tusculan. dispu-*  
*tat. L. I.*  
*c. 46.*

**TULLIUS** in summa de immortalitate animorum dubitatione etiam tunc, quum omnis morte sensus perimitur, summis et propriis bonis et laudis et gloriae, quippe quae virtutem veluti umbra sequuntur, mortuos negat destitui, nec ullo scribit modo dici posse, Lyceurgum atque Solonem legum et publicae disciplinae carere gloria, Themistoclem ac Epaminondam bellicae virtutis. *Ante enim, pergit, Salaminam Neptunus obruet, quam Salaminii*

*tra-*

tropaei memoriam, priusque Leuctra Boeotia tollentur, quam pugnae Leuctricae gloria; multo autem tardius fama deferet Curium, Fabricium, Calatinum, duos Scipiones, duos Africanos, Maximum, Marcellum, Paullum, Catonem, Laelium et innumerabiles alios. Quam si quis sententiam veram putat, est autem, in primis si Christianae religionis decreta in consilium adhibeantur, verissima, omnis, qui magnorum, quos nominauimus, virorum similitudinem aliquam arripuerit, consimiles fructus gloriae post fatum suum obtinebit: feretque non operae solum suae pretium, sed quasdam officii implebit partes, qui ad stabiliendam hanc atque propagandam gloriam dicendo scribendoue quidquam confert. Deinde hoc maxume in votis videntur habuisse summa omnis aeui ingenia, ut ipsis de medio sublatis honor non menque cum perpetua laudis ad posteritatem commemoratione maneret. Ita Socratem accepimus, qui est sapientissimus omnium oraculo Apollinis iudicatus, su-

Apoc. XIII,

13.

premo vitae die immortalitatem expeti-  
 isse, non tam animi, vt arbitror, de qua  
 tamen, si quis aliis, praecclare sensit, quam  
 nominis et sapientiae suae. M. CICERO  
 in dicto illo Catonis Maioris cum Laelio et  
 Scipione *de Senectute* colloquio, vt optimi  
 cuiusque animum maxume ad immor-  
 talem gloriam niti asseuerat, ita: *Nemo*  
F. 23. *unquam*, scribit, *mihi persuadebit aut pa-*  
*trems tuum Paullum, aut duos auos Paul-*  
*lum et Africanum, aut Africani patrem*  
*aut patruum, aut multos praestantes viros,*  
*quos enumerare non est necesse, tanta esse*  
*conatos, quae ad posteritatis memoriam*  
*pertinerent, nisi animo cernerent, posterita-*  
*tem ad se pertinere. An me censes, addit,*  
. . . *tantos labores diurnos nocturnos*  
*que domi militiaeque suscepturum fuisse, si*  
*iisdem finibus gloriam meam, quibus vi-*  
*tam, essem terminaturus? nonne melius*  
*multo fuisse, otiosam aetatem et quietam*  
*sine ullo labore et contentione traducere?*  
*Quis est autem ab omni religionis et pie-*  
*tatis sensu adeo alienus, vt nolit, si possit,*  
extre-

extremo hominis, praecipue sapientis, iudicio obtemperare, quod omni tempore omnium rerum publicarum instituta sanctum et integrum seruari voluerunt? *Praeterea* fructum aliquem ex gloria defunctorum capiunt, qui sibi erectum morte vel patrem, vel patronum, vel familiarem conqueruntur, nec ademitum penitus sibi credunt, si, dum de vita eius bene acta et meritis in rem publicam vel literariam vel ciuilem commentantur, posteritatis suffragium anquirere ei possunt, quem ab aequalibus suis eorum submotum oculis lugeri, non sine magno doloris domestici lenimento vident. Immo et bene nato educatoque nouum inde solatii argumentum nascitur, quod tali se putat ratione aliquod gratae mentis pietatisque monumentum ponere et partem exsoluere aeris alieni, quo se liberare aliter, quam debiti olim contracti publica professione, non potest. Ast parum ad persuadendum valebunt haec argumenta omnia, si cum eo componas, quod, quia rem totam conficit, extre-

mo commemorandum loco iudicauit. Interest scilicet rei publicae, vt ciuium egregiorum vita posteris innotescat, idque adeo, vt haud commissurus facile quisquam sit, qui ciuitati bene cupit, vt sua culpa viri de ea bene meriti, et post fatā adhuc bene merentis, si fructus laborum ab ipso adhuc spirante susceptorum cogites, obliuioni tradatur nomen.

HORAT.  
Carm. L. IV.  
Od. V. v. 29.  
seq. add. Od.  
IX. v. 27. f.

*Paulum sepulta disflat inertiae*

*Celata virtus.*

Exemplorum autem quum incredibilis vis fit in formandis et ingeniis et moribus iuuenum, hi erunt quotidie commonefaciendi, vt non viuos solum et in rei publicae luce versantes viros primarios intueantur, sed ceterorum quoque memoriam sedula lectione et cogitatione assidua repetant, quorum tumulis istud Attilii Calatini elogium inscribi mereretur: *plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.* Ita enim, si non pietate in patres auosque fuos excitati, certe venustate elogiorum et innato homini cuiuis liberali

CICERO  
Cat. M. c. 17.

glo-

gloriae eiusdem aliquando adipiscendae capti studio, idem virtutis stadium, quo ad tantum honoris fastigium et immortalitatis praerogatiua perrexere maiores, ingredientur. Quid quod publicae rerum gestarum tabulae condi rite et adornari nequeant, ni constet de vita et rebus gestis ciuium singulorum, qui aliquem in re publica locum tenuerunt? Qualis quaeso et quam misera foret historiae Graecae nostra aetate facies, ni lucem subinde vitae virorum toga fagoue celebrium accenderent, quas **PLVTARCHI CHAERO-NENSIS** et **CORNELII NEPOTIS** sollertiae debemus? Quumque futura saecula siue fructum possent siue oblectationem capere ex memoria virorum, quos Lipsia nuper et vniuersa prouincia Saxonica in pretio habuit, vt qualiscunque industria mea hac ex parte desideraretur, eo maius piaculum existumauit, quo magis priuatae etiam necessitudines, quas hic exponere superuacaneum foret, me prohibebant senem memorandum tacere.

Obiisse

Obiisse circa anni superioris exitum  
VI. Non. Decembr. TACOBVM BORN  
NIVM neminem praeterit, qui aliqua  
rerum patriarcharum cura tangitur. Atque  
huius vitam animus erat παραλλήλως re-  
praesentare, et, quae is per quinquaginta  
et quod excurrit annos rei publicae caussa  
fuscepit, cum eorum conferre gestis, quos  
vel ultima antiquitas memoria dignos  
censuit, vel recentior aetas magnos prae-  
aliis existumauit. Sed praeuidi facile,  
nunquam posse hanc telam perfici sine  
commemoratione rerum plurimarum,  
quae vel ambitiosius dicta omnibus videri,  
vel stimulare inuidiam singulorum possent,  
ideoque aptius visum est, mutato consilio  
ad BORNII ipsius ingenium et modestiam  
hunc de vita eius commentariolum com-  
ponere, et, quibus maioribus editus, quo  
ingenio a natura ornatus, qua industria,  
quae studia, tractarit, quo tempore ad rem  
publicam accesserit, quas vicissitudines  
fortunae et publicas patriae calamitates  
fuerit expertus, quo animo tulerit, qua  
tandem

tandem constantia vltimam rerum suarum  
lineam duxerit, qua spe melioris vitae  
fretus mundum hunc res suas sibi habere  
iussit, in tabula quasi pingere, et qualem  
alienissimo tempore virum amiserit res  
publica, relinquere iudicio posteritatis.  
Maiores gentis, ex qua ortus est, saeculo  
a C. N. quarto et quinto decimo Pomera-  
niam citeriorem incoluerunt, ac multas  
quidem numerarunt imagines, sed in tenui  
admodum vixere fortuna. Contigit inde,  
ut eorum non pauci, quamdiu vires anni-  
que sinerent, castra sequerentur; et post ex-  
actos in tribunatu militiae Suecicae octo  
et quadraginta annos, multis vulneribus  
confectus circa finem saeculi quinti aut ini-  
tium sexti decimi bono Lipsiam omine se  
conferret **VITVS BORNIVS**, atque in  
vico Euterizsch, ad moenia vrbis sito, tu-  
guriolum sibi compararet, in quo, post var-  
ios casus, post tot discrimina rerum, forte  
contentus sua se reficeret, et mortem ap-  
propinquantem mente composita praestoi-  
laretur. Huius ex filio **MAVRITIO**, qui

C

A.

A. c. 10 xxii. praediolo clientelari ab Adamo Willero, coenobii S. Thomae praeposito, inuestitus est, nepos VALEN-  
TINVS ab epistolis secretioribus Ferdi-  
nandi I. Imp. fuit, carus principi, magno  
ingeniorum arbitro, a quo etiam noua no-  
bilitatis gentilitiae decora impetravit.  
Qui ab hoc genus ducunt, MAVRITIVS  
filius, IOANNES nepos et IACOBVS  
pronepos, maiorum exemplo fagum togae  
praetulerunt, et sub signis Austriacae do-  
mus stipendia meruerunt. Sed IOAN-  
NES BORNIVS, IACOBI f. tran-  
quillam agere vitam cupiens, A. C.  
c. 10 xcviii. Lipsiam reuersus, paruas  
in vrbe aedes sibi posuit, et filio ex *Anna,*  
*Bartholomaei a Scherl* vidua, cognomini  
reliquit. Huius primum ex gente Bornia  
in litteris nomen. Nam et iis, quae  
ab humanitate traxerunt appellationem,  
studiis, et iuris scientiae, quallem saeculi  
patiebatur indeoles, sedulus incubuit: prae-  
mia etiam tulit industriae, quandoquidem  
commendante socero *Geo. Ludouico Mo-*  
*fero,*

sero, equite Misnenensi, qui apud Ioa. Georgium I. Saxoniae Principem Electorem gratia plurimum valuit, publico pandecten in academia patria praelegendi officio admotus est, et capitularis dignitate in cathedra Numburgensi condecoratus. In numerosa prole, quam ex *Moseria* sua suscepit, tres praesertim eminuere filii, **F R I D E R I C V S**, **I A C O B V S** atque **H E N R I C V S**. Primus in aulico S. R. I. senatu consilia-  
rii locum beneficio Leopoldi Imp. obti-  
nuit; alter in sacro Augusti II. regis con-  
sistorio comes, in summo, ad quod prouoca-  
tione certatur, tribunali et curia prouin-  
ciae Saxonicae suprema senator primari-  
us, in academia Lipsiensi antecessor et  
ordinis iuridici praeses, in scabinatu regio  
senior, in Martisburgenfi capitulo canonici-  
cus et patriae ciuitatis consul, splendida  
in primis vna cum *Henrico Friso* ad au-  
lam caesaream legatione functus est,  
quum electoratum Saxoniae et vnitas  
eidem prouincias in feudum acciperet  
**D. Fridericus Augustus**; tertius in supre-

C 2 ma

ma curia prouinciali et scabinatu Lipsiensi  
integerrime ius dixit, simulque prouinciam  
proconsularem in vrbe patria ornauit. At-  
que huic quidem *Henrico Magdalena Si-  
bylla, Godofredi Welschii*, decani Medici,  
et *Mariae ab Anckelmann* filia A. I. S.  
~~1510~~ LXXXIII. vi. Kal. Nouembr. filium  
peperit vnicum, qui, quum per sanctum  
baptisma sacris christianorum initiaretur,  
**IACOBVS** appellatus est. Iam in puero  
ingenii elegantia et mirus discendi ardor  
cum singulari memoriae felicitate con-  
iunctus enituit. Ab ineunte igitur aeta-  
te pius curauit pater, vt solida rerum  
sacrarum cognitione et disciplinis litera-  
rum, quae pueritiam alunt, senectuti olim  
oblectamento futurae, filius imbueretur,  
idque negotium mandauit, quum ipse  
negotiis rei publicae distineretur, praec-  
ceptoribus domesticis *Lochmano* atque  
*Schmuzero*, magistris artium. Lau-  
dabat eorum in se instituendo fidem **B.**  
**BORNIVS**, sed plurimum se debere pro-  
fitebatur disciplinae *Christiani Ludouici*  
*Crel-*

Crellii, S. T. L. et in Iudo S. Nicolai literario tum Conrectoris, postea Rectoris, a quo etiam sub auspicio saeculi XVIII. non sine elogio in academiam patriam dimissus est. Tum vero animum praincipue ad Romanii iuris scientiam appulit, non compendiariam illam et vulgarem, quae ineptis quibusdam et male intellectis axiomatis ac praeconceps de ysu fori, vnico iusti et aequi arbitro, opinionibus continetur, sed masculam atque solidam, quae origines legum ex tenebris antiquitatum eruit, caussas explorat, ingenium inuestigat, incrementa, adhibitis in consilium Caii, Paulli, Vlpiani, aliorumque ICtorum disceptis vndique fragmentis, enucleat, verba ex optumis quibusque ad Herulicum expressis exemplaribus et scriptis Graecorum recte et cum cautione adscitis interpretatur, et quicquid cum immutata rei publicae forma atque πατρίοις ἔθοις coniungi et conciliari potest, ad ipsa rerum argumenta litesque pro tribunalii dirimendas accommodat. Neque minori sol-

C 3 licitu-

licitudine in reliquis iurisscientiae partibus versatus est, ita ut, quum iuris facri capita enodaret, volumina patrum, conciliorum decreta et Pontificum epistolas decretales excuteret, omnemque non minus ecclesiasticam historiam familiarem sibi redderet: praeterea clientelares Langobardorum mores, Leges S. R. I. publicas et particularia Saxonie instituta optume calleret: denique quicquid vel Carolina Nemesis super quaestib; statuit, vel collegiis ICTORUM subinde placuit, (plurima enim criminalis iurisscientiae capita fori vnu et responsis prudentum vnicet nituntur,) in numerato haberet. Profuit ipsi, quum opus tam arduum aggrederetur et in tam laudabili stadio decurreret, Lipsiae quidem manuductio Schwendendorffii, Itigii, Menkenii et Frankensteinii, Tubingae autem, quo A. cr. 1700, veluti Romani iuuenes Athenas, se contulit, institutio Schwerderi, Harprechti atque Pfaffii. Tot tantorumque virorum praeceptis formatus

BOR-

BORNIVS ipse ad summos iurisscientiae honores A. cõ 1000 vi. adspirauit, postquam a. d. VIII. Kal. Mai. de iurisdictione per inuestitaram feudalem concessa, certamen moderante Gabr. Schwedero, disputasset. Ex academia Tübingeri peregre abiit, atque Germaniam omnem cum Alsatia et Heluetorum pagis, præterea Daniam, Belgii tam foederati quam Austriae provincias singulas, et Britanniæ magnam non sine fructu eximio lustravit. Magna vis est peregrinationis in utramque partem. BORNIVS autem ita per exteræ regiones iter fecit, vt, quocunque appelleret, finis, quem abiens sibi proposuerat, recordaretur, quid sibi patriæ suae publice priuatimque olim esset profuturum, sollicite circumspiceret, deinde notitiam et consuetudinem, immo et amicitiam, si fieri posset, magnorum virorum, qui vel ad clavum rerum publicarum tunc sedebant, vel doctrina et monumentis ingenii celebritatem nominis consequuti fuerant, sibi concilia-

ret,

ret<sup>6</sup>, ad horum sermones et consilia rationes suas componeret, praeterea libros in patria rariores, qui aequo ipsi pretio offerebantur, sibi compararet. In his praeferuntur delectabatur egregio *Harmenopuli* exemplo, cui praeter lectiones aliquot Codd. MSC., qui in scrienis christianissimi regis afferuantur, scholia nondum edita viri docti manus, quam esse *Caroli Labbei* ex literarum structura coniecisse nonnullos memini, adscripsit<sup>7</sup>. Quum traiectum

## EX

6) Laudare solebat comitatem *Ezech. Spanheimii*, *Ioa. Hudsoni*, *Tho. Galei*, *Henr. Dodwelli*, *Ioa. Georgii Graeui* et *Ioa. Frederici Gronouii*: sed dissimiles valde mores in *Tho. Crenio* et *Iac. Gronouio* reprehenderat, ipsa re expertus, verissimum esse, quod de *Gronouio* iuuene *ISA. Vossius* in epist. dedicat. ad *Io. Ge. Graeui* scripta, et appendici obseruationum in *Pomponium Melam* Londini 1610CLXXXVI. 4. editae praemissa, de fene autem *IOA. GOTTL. HEINECCIUS* in prefat. orbis Romani p. 4. tulit iudicium.

7) Reliquerat, quum Lipiam reuerteretur, ~~καρηκλον~~ hoc in manibus viri docti, qui edendi tum *Harmenopuli* consilium ceperat, quod tamen praeventus morte deseruit. Quum heredibus eius extra Saxonicum limitem habitantibus persuaderi non posset, commodati titulo librum a defuncto possestum, et aliae probations deessent, quod fidei petentis rem suam creditisset *BORNIVS*, vt inter bonos bene agier oportet, recuperandi *Harmenopuli* sui spe dudum exciderat. Contigit postea, vt is praeconis voci, nescio quo loco subiiceretur,

ex Anglia in Galliam meditaretur, nihil tale opinatus, subito literis I A C O B I patrui mense Augusto anni cccccc vii scriptis reuocatus est in patriam et in amplissimum ordinem adlectus. Venit etiam, quamuis inuitus, vt facilis est coniectura, testatumque ea re fecit, decere iuuenem in negotiis magni momenti magis iudicio et consiliis senum, quam suo ingenio, obtemperare. Nec male cessit hoc bonaे mentis et obseruantiae in patruum,

cui  
retur, et iure liciti in quo literarum fato post  
bibliothecam perueniret eum, quem supra tetigi,  
Gottfr. Leonardi Baudisti, virum doctum nemo, quod  
qui vt callentissimus iuris sciam, de edendo *Harmenopoli* περιχέη cogita-  
scientiae venustioris erat, rit; pauca, quae typis de-  
et in fontibus eiusdem scripta prostant, exempla  
conquirendis valde assiduus, ita hoc *Harmenopoli* inter se et cum Codd. bo-  
exemplum ornamenti scriniorum suorum praecipua numera-  
namenta scribentia quo literarum fato post  
bat. Ex hac igitur, quam et ipsa mortuo posse fore  
commune bibliothecarum contulerit; praeterea Ve-  
Lipsiensium ab eruditis netorum, e quibus varian-  
priuatis magna sedilitate collectarum fatum expe-  
tientur, coemptus denuo rationem; denique men-  
retretur, coemptus denuo est liber, et bibliothecae Senatus Lipsiensis illatus, tatem scriptoris, cui primas  
in qua hodieque adseruat. Miratus sum diu, concedere partes in ma-

D gno

cui idem ferme, quod Papiniano Vlpianus debebat <sup>8</sup>, eximium documentum. Contigit enim BORNIO, quod nescio an multis, ut per LII annos continuos rei publicae praeesset, et non modo per varios magistratus ad primum ciuitatis locum communi omnium plausu perueniret, verum etiam nullo non tempore de summo senatus pariter atque ciuium studio certus esset. Praetoram ab A. cccc xxii gessit, biennio post proconsularem prouinciam suscepit, ad consulatum A. cccc xxviii, erepto rebus humanis *Plazio*, euectus est. Sed non de-

bebat

gno eorum prouentu, qui decreta ICtorum Romanorum Graece reddiderunt, ut orientalis imperii vifibus accommodari possent, nullus dubitarem, reetus, quam adhuc factum est, sit interpretatus. Bene autem faciet, qui huic elegantioris iurisprudentiae adminiculo operam suam postea forsitan impendet, si et nostrum, de quo commemorauimus, exemplum in consilium adhibeat. Nam licet pa-

rum detrimenti capturam literariam rem publicam sponderem, etiam si magna pars glossarum et scholiorum, quibus locupletati auatores Graeci prodierunt, lucem nunquam vidisset, tum vero glossarum, quas vocant *vouinas*, et scholiorum ab ICtis orientis adornatorum, prae reliquis parum fructuosa saepe sit lectio, et magna cautione in ope ex illis quaerenda opus: eodem tamen nostra aeta- te

bebat sibi Lipsia soli vindicare, cuius ingenium et integritatem salus Saxoniae universae desiderabat. Iam A. c. 1000 in suprema prouinciae curia adsidere a D. Augusto rege iussus est, tum vero A. c. 1024 in Dresdensi, ad quem prouocatione certatur, senatu locum consequutus, tandem A. c. 1030, quum Illustrissimus *Bunauius* ob ingrauescentem senectam virum expeteret, cui partem grauissimi munera committere tuto posset, splendidam Procancellarii Saxonici prouinciam singulari principis clementissimi sauore obtinuit. In tot tantisque

## D 2 mune-

te haberi loco ac numero merebuntur, quo *Enium TVLLIVS* censuit, quum ex stercore eius aurum quaereret. Neque in his dos *Harmenopuli* Lipsiensis praecipua latet, sed in diuersitate lectio- nis, quam codex regius collatus ostendit, et quae non saepe solum multo planiorum reddit sensum, sed scriptorem etiam ab uno alteroue errore, cuius eum corrupta editio reum faciebat, liberat.

8) Vlpiano Papinianum non minus in negotiis suscipiendis, quam in stabilienda fortuna, auctorem fuisse, constat testimoniiis LAMPRIDII in Alex. Seuero c. 26. 31. 51. atque SPARTIANI in Pefcenio Nigro c. 7. quos locos perpetuo quasi commentario illustrat narratio GUIL. WOTTONI in the history of Rome from the Death of Antoninus Pius to the Death of Severus Alexander (Lond. c. 1000. 8.) p. 439 sq.

muneribus obeundis qua fide et abstinentia versatus sit, quos patientissime tulit labores, quos paſſim viderit euentus, quae fata ſubinde expertus fuerit, longum foret, nec huius loci et temporis, recensere. In prosperis autem, quae ipſi contigerant, et quarum ſumma cum voluptate memoriam ſaepius recolebat, rebus collocare solebat, quod D. Auguſto regi probatus fuifet. Quodſi enim principibus placuiffe viris non ultima laus eſt, tum ſane tanti Principis gratiam meruiffe, cui, poſtquam ad aſtra rediiffet, magni cognomen posteritatis iudicium decreuit, non potheſt non eſſe glorioſiſſimum. Quapropter ſaepius cogitabat argumenta, de quibus ſapientiſſimus Princeps, qui ſuper grauiſſimiſ negotiis eorum ſenten-  
tiam,

9) Non ingenii ſolum robur et perſpicientiam ſingularem produnt, quae data eiusmodi occaſione in chartam coniecit, ſed etiam probitatem et integritatem, quae cogitari potheſt maxima. Qua in re, ut in aliis, haud

diſſimilis fuit M. T U L-  
L I I, de quo nuper eruditus Britannus iudicium tulit: *His Writings are the nobleſt Lessons of publik Honely, Desinter-eftedneſs and the Love of Liberty, that are to be found in all Antiquity;*  
and

tiam, quorum spectatam habebat fidem, et doctrinam in pretio, rogare solebat, quid ipsi videretur? interrogarat<sup>o</sup>, et, quanti ficeret eius suffragium, ipsa re fuerat testatus. Haesit etiam, et imis quidem infixa medullis, summa in clementissimum Regem et vniuersam domum Augustam pietas, regali prorsus Potentissimi Successoris munificentia ac indulgentia singulari non tam aucta, nam accedere eidem quidquam haud poterat, quam saepius prouocata, ita vt etiam inter repetitas eiusdem testificationes, quas commemorare infelix temporum haud permittit conditio, animam efflaret. Ex quo Lipsiae perpetuo morari coepit, quod inde a Iulio mense anni

1533 factum est, quoad per

D 3 gra-

and it is the excellent and almost divine Spirit, which appears in those Books, that has made the Majority of Readers conclude, the Autor of them to have been in his own Practice, what he takes so much Pains to recom-

mand and inculcates with such force of Arguments. And to do him Right, in many Parts of his Administrations he was the patriot, he describes . . . Vid. Observations on the Life of Cicero (Londini 1541. 8.) p. 9.

grauissimos morbos, quibus per inter-  
nalla laborauit, et infecutas senectutis  
prouectioris infirmitates licuit, totum se  
publicae saluti dedit, et quas vacuas a  
publicis procuracyibus horas habuit,  
dirimendo lites atque de iure responden-  
do impendit. Amabat enim, neque,  
*ως μοὶ δοκεῖ*, sine caussa istud Themidos  
sacrarium, in quo, praeter multos viros  
primarios, patrem olim et patruum iura  
reddidisse, consular quoties ostium pul-  
fasset, recordabatur. Quod alii tempus  
nihil agendo consumere, aut oblectatio-  
nibus otiosis tribuere solent, venerabi-  
lis senex ita collocauit, vt nunc sacras  
literas, et quae in illas passim Theologi  
praestantes commentati sunt, scrutare-  
tur, nunc veteres, quos classicos vulgo  
vocant, auctores lectitando repeteret,  
ipsa re expertus, quod *pro L. Archia*  
c. VII. dixit *T V L L I V S*, haec studia, quae  
adolescentiam olim aluerant, senectutem  
iam oblectare; quae res ornauerant se-  
cundas, in aduersis et summis rei publicae  
calam.

calamitatibus praesidium et solatium pree-  
bere. Neque enim vlla re vnquam com-  
motus est magis, quam hoc, quod nostra  
per tres annos vdit aetas, dulcissimae  
patriae excidio. Attamen quod mutare  
aut corrigere nec arte poterat nec consi-  
lio, nec temere aut sine numine Di-  
num euenire intelligebat, patienter tu-  
lit, eandemque, quae peculum veluti eius  
semper fuit, oris hilaritatem et comita-  
tem sermonis inter medios belli tumultus  
et strepitus armorum retinuit. Frontem  
inprimis explicabat, quoties cum fami-  
lia sua versabatur, quippe in cuius pietate  
et obseruantia ipse non minus, quam haec  
in eius amore et indulgentia adquiescebat.  
**Duxerat a.d. vii. Id. Februari.** c. 1000 XIII  
vxorem S V S A N N A M R E G I N A M ,  
*Andreae Puschii*, e nobili Silesiae supe-  
rioris prosapia oriundi, qui cum *Ioa. Er-  
nesto Kregelio* mercaturam, non paruam  
illam et ignobilem, sed magnam et copio-  
fam, Lipsiae per aliquot annos fece-  
rat, ex *Susanna Regina Schiltera* filiam  
vni-

vnicam, quam summo Dei O. M. beneficio vltra annos **XLVI** matrimonio iunctam habuit. Suscepit ex ea filios binos, *Iacobum Henricum A. c. 1500 XVII*, et *Ioannem Andream anno proxume sequenti, totidemque filias, Margarethem Sibyllam A. c. 1500 XXII, et Susannam Reginam A. c. 1500 XXVI*: e quibus idem annus secundus seculi viceimus filium natu minorem et filiam maiorem natu abstulit. Vedit etiam ex filii superstitis cum *Ioanna Christiana Schachera iucundissimo, sed perbreui, matrimonio bigam nepotum, videlicet Iacobum Henricum A. c. 1500 L, et Iacobum Christianum Theophilum A. c. 1500 LII*, ac neptem vnam *Susannam Christianam Henricam A. c. 1500 LIII*: ast neque hos omnes aui exsequias ire fata voluerunt, quandoquidem *Iacobus Christianus*, nondum sex menses natus, praematura morte extinctus est. Magno interea oblectamento fuit egregia reliquorum indoles, dulcemque spem aluit fore, vt secundis Dei O. M. auspiciis tales

fuc-

succrescant, quales ex se ortum trahere optaret. Decebat sane tantum virum hoc potissimum precari, etiam ea aetate, qua nihil amplius in votis habebat, quod ad se pertineret. Erat ipsis a natura corpus infirmum, praeterea multis iisque grauissimis morbis, laboribus etiam et vita negotiosa, tandem  $\alpha\pi\sigma\tau\lambda\gamma\xi\alpha$ , qua in ipsa sollemnitate pentecostali anni  $c\tau\alpha\tau\alpha\ll$  corripiebatur, debilitatum; et, quamuis extremo, quod viuendo attigit, lustro a morbis acutis, qui lecto ipsum affixissent, immunis esset, omne tamen robur cedere, et vires indies frangit, subinde conquerebatur: quanquam officii sui partibus ita faceret ex affe satis, ut viuidam ingenii vim in senili corpore admirarentur, quotquot eum de rebus grauissimis differentem audiuerunt. A. d. IV. Kalend. Nouemb.  $c\tau\alpha\tau\alpha\ll$  LVIII, quo natalem sextum et septuagesimum celebrabat, circa tertiam a meridie horam febrili frigore, horripilationem vocant, qui artem faciunt, subito corripiebatur,

**E** cui

cui vomitus successit. Ab eo tempore ci-  
bum desit appetere, et maiorem quo-  
tidie virium iacturam, sine doloribus ta-  
men vllis, sensit. Praesto quidem fuere,  
quorum auxilium extemplo imploraba-  
tur, duumiri medicae artis scientissimi,  
*Seylerus*, quem octuagenarium sexa-  
ginta annorum usus vere fecit experien-  
tissimum, et *Ludewigius*, vir inprimis  
celebris, ordinisque sui Decanus perpe-  
tuus: neque conamina eorum successu vi-  
debantur destitui, quum circa medium  
Nouembris mensis aliquantis per melius se  
habere coepisset aeger. Sed quum ali-  
menta respueret, et noctes non raro du-  
ceret insomnes, haud in se fore, ut rele-  
uetur, malumque plus docta manu vali-  
turum, facile praeuiderunt: ipse etiam  
**BORNIVS**, qui praeterea propter satie-  
tatem vitae tempus maturum esse mortis  
censebat, beatam *άναλυσιν* suam instare  
Matth. XXV, intellexit, ac, vt decebat *δέλον αγαθὸν*  
21. 23.  
*ηγὶ πισὸν*, ὃς ἐπ' οὐλίγων ἢ πισὸς, sarcinas  
collegit. Neque enim solum cognitum  
per-

perspectumque habebat, moriendum esse omnibus, et miseriae atque laborum, quos pertulerat multos, futurum finem in morte, verum edoctus diuinis etiam scripturis erat, et fiducia in sacrificio D. N. I. C. expiatorio collocata confirmatus, peruenturum animum suum, quando e corpore excesserit, in caelum, quasi in domicilium suum, supremumque, quem alii *οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα* reformidant, diem non extinctionem, sed commutationem eamque longe iucundissimam loci, *οἰκίαν ἀχειροποίητον αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, allatum. Quum vero diuturna et meditatione et experientia didicisset, facilem esse viatoris etiam bene praeparati in itinere difficii offensionem, nihil intermisit eorum, quae ad animum aduersus terrificula mortis magis magisque corroborandum conferre quidquam videbantur: et non ipse solum, quantum per imbecillitatem virium licet, frequentes de rebus diuinis sermones instituit, sed adlocutiones etiam aliorum, praesertim

ad Thessal.  
IV, 13.

ad Corinth.  
V, 1.

venerabilium Theologorum, *Bahrdtii* et  
*Matthesii*, quo confessionario vtebatur,  
libenter audiuit, ex *Matthesi*que manibus  
iii. Kalend. Decembr. corpus et sanguinem  
D. N. I. C. religiosissime accepit.  
Praeterea, quid post obitum suum fieri, et  
quo loco exuuias corporis collocari vel-  
let, eadem vultus hilaritate et constan-  
tia animi praecepit, qua, quando alias  
in breue tempus peregre proficiseba-  
tur, rerum suarum administrationem man-  
dare solebat: et, quidquid ad funebrem  
pompam referri vlo modo potest, se-  
nera lege interdixit. Vnicum incidit  
momentum, quo lacrimas cohibere haud  
poterat, et quis quaeso potuisset? istud  
videlicet, quo suis, quos tenerrime ama-  
bat et discessu suo vehementissime con-  
tristari satis intelligebat, extremum dice-  
bat vale, eosque cum patria vniuersa di-  
uinae prouidentiae commendabat. Mor-  
tis horam instare citius, quam summo vi-  
tae necisque arbitro visum fuerat, puta-  
uit, imo peroptauit. Venit autem ipso die  
aduen-

aduentus D. N. I. C. vi. Non. Decembris, hora a meridie quinta, quippe circa quam inter benedictiones sacerdotiales et preces suorum sine omni doloris et aegritudinis sensu cum certissimis intelligentiae pietatisque et fidei in D. N. I. C. signis placide obdormiuit, post mortem quoque dormienti, quam exanimato, similior. Quod mortale habuit, in coemeterio S. Ioannis ad latus maiorum Nonis Decembr. sine omni pompa et ostentatione ex animi sui voluntate collocatum est, et in sarcophago, qui exuuias corporis complectebatur, scriptus titulus:  
IACOBVS BORN DOM. HEREDITAR. WILDENBORN I ET SVX-  
DORFFI PROCANCELLARIUS  
REGIVS VRBIS LIPSIAE COS.  
PRIM. VIXIT ANNOS LXXV.  
MENS. I. DIES IIII. A. D. III.  
DECEMBR. A. I. S. CICCIOLVIII.  
DIFFICILLIMO REIPUBLICAE  
TEMPORE PLACIDE OBDORMIVIT.

**E 3**      Vestrum

38 IACOBI BORNII ELOGIVM

Vestrum est, quotquot hanc de vita  
IACOBI BORNII dissertatiunculam le-  
gitis, viri pretium cognoscere, et prae-  
clare ab eo gestis talem statuere hono-  
rem, qualem vestris olim haberi, quando  
vobis diuturnitas et satietas vitae tempus  
maturum mortis afferet, atque integra  
mente ceterisque sensibus opus ipsa suum,  
quae coagmentauit, natura dissoluet, per-  
optatis. Scr. a. d. vi. Non. Decembr.  
A. R. S. ccclviii.



WILHELMUS AEGIDIUS 25

etiam quodcumque deinde accidat  
et manu huiusmodi datur et dicitur  
et hoc ex ostenditur utrumque non sit  
conveniens modus in quo multis numeris  
plures etiam in unum etiam in unum  
etiam in unum etiam in unum etiam in unum



U.L.B. Halle



Za 3256 QK

**ULB Halle**  
005 361 982

3



m.C.





OK. 236. 9

IV, 222

# IACOBI BORN

DOMINI HEREDITAR. CLIENTELARVM

WILDENBORN ET SVXDORF

PROCANCELLARII REGII

CIVIT. LIPSIENS. CONSVLIS PRIM

A. D. VI. NON. DEC. CIOICCC LVIII

PLACIDA MORTE EXTINCTI

## E L O G I V M



LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA